

membra se pro capite exponunt ictibus. Immola-
verunt ethnici liberos suos dæmoniis, ut dicitur
Ps. CV. et patet ex IV. Reg. XXIII. idque sine
dubio ob patriæ bonum commune. Contra lepram
Const. Magno imperatori balneum de infantium
sanguine parabatur; sed crudelia erant isthæc.
Id solum justum, solum honorificum est, pro
Christo mori, qui solus commutare mortem in
vitam potest. Nec vero injuriam facit cuiquam
Dominus, si quoad sui gloriam utitur: sicut nec
calamo facio injuriam, cum ad scribendum mihi
eum applico, licet usu quidem ipso paulatim
deteratur. Sic usus est ad sui gloriam, punitione
Pharaonis, Exod. XIV. Amalecitarum, I. Reg. XV.
Sichimitarum, Gen. XXXIV. Et si per noxiorum
supplicia glorificari et sanctificari Deus dicitur,
ut Exod. XIV. quomodo non glorificetur, [cum
innoxii pro ipso luunt?

IV. Ut essent ploratu et ululatu suo præcones
nativ. Christi, vel, ut ait S. Leo papa, ser. II. de
epiph. *Ut dum Herodes atroci intentus facinori igno-
tum sibi puerum indiscreta infantum cæde persequi-
tur. annuntiatum cælitus, dominatoris ortum insi-
gnior ubique fama loqueretur.* Qua in re gladiatorius
iste Herodis iusus similis fuisse mihi videtur illi
ludo, de quo Plato, I. de leg. VI. scribit: lusurum
quoddam genus fuisse, in quo juvenes ignem
gladio dissecare consueverant, sed irritò prorsus
conatu; quo enim magis vexabatur ignis, eo ma-
jorem concipiebat flammam, carbonum exagita-
tione magis magisque invalescentem: unde pro-
verbium natum: *Ignem gladio dissecare vel fodere,*
pro re frustranea, ut etiam notat Basilius, in epist.
ad nepotes. Christus natus ignis erat de cælo in
terram lapsus, jamque sui fama undique corus-
cans: unde de se Luc. XII. ait: *Ignem veni mittere
in terram, et quid volo nisi ut accendantur?* Carbo-
nes ignem alentes Innocentes sunt, Christum quasi
tangentes et occultantes, inter quos latebat. Dum
igitur Herodes Christum in parvulorum cæde
persequitur, ignem gladio dissecat, atque adeo
innocentum veluti carbonum exagitatione, magis
magisque accendit. Ita enim factum, ut quibus
obtundere ora volebat, eosdem Christi præcones
faceret. Stultescere videbitur, qui organi sonitum
cohibiturus, folles calcare, aut ponderibus volet
gravare: sic enim organum vehementiori turge-
bit vento, et altius sonabit. Insanit igitur Herodes,
qui famam Christi nati jam resonare coepit,
extincturus, parvulos pedibus proculcat, occisos-
que tumultis premit. Folles sunt isti, et quo
magis depressi, tanto magis Christi sui famam
locuti sunt. Certe vox ista non in Rama tantum
sed et in Roma audita est, Maer. I. II. Saturn.
c. IV. teste (qui scribit Augustum dixisse: Præs-

tare porcum esse Herodis, quam filium, ut alia
dixi et a pluribus scriptoribus orbi patefacta, ut
a Macrobio, Philone Judæo, Cassio, Nicæo Græco
Antonio Sabellico, etc.

V. Ut in illis peccatum parentum puniretur
Ita S. Augustinus, lib. II. de symbolo ad catech.
cap. V. sed hic primo quæres, quod peccatum
fuerit parentum? S. Augustinus ibi parentes
parvulorum sic alloquitur: « Vobis irrogatur pœna
orbitatis, cæterum illis gloria fertur immortalitatis.
Nuntiaſtis Herodi, ubi occidendus inveniri potesſi
Filius Dei, sed ille filios vestros occidens pro filio
Dei, et vos orbitatis pœna nescius punit tamquam
proditores, et filios vestros Dei fecit hæredes. Sic
vos irridebat, qui habitans in cælo jacebat in
terra, sic furias vestras, regisque vestri subsanna-
bat, quando mala vestra in vos retorquebat et de
malis vestris multa ille bona faciebat, etc. » Hæc
Augustinus.

Alterum addit Palatius, in cap. II. Matth. *Quia
parentes eorum, inquit, suum Messiam, quem magi
adoraverunt, non curarunt agnoscere.* Quin et ter-
tium addimus, quod Bethlehemitæ Christum ejus-
que parentes recipere in diversorium nollent: *Non
erat eis locus in diversorio,* ait Lucas, cap. II. sed
nimirum si pomposus aliquis venisset dominus,
fuisset sine dubio pro illo locus. Sicuti in specta-
culis nunquam ita plena sunt sedilia, quin pro
adventante principe vel magnate supersit aliquis
locus. Sed jam inquireret alius: Cur scelera paren-
tum filii luant? Quibus dico primo, si filii sint
innocui, quia non modica sunt, sed suavissima
pars parentum, acrius puniri patres in filiis,
quam in seipsis: et si enim istis ad animæ deli-
mentum non cedit, cedit tamen illis ad duplica-
tam pœnam. Unde S. Gregor. lib. XXV. moral.
cap. XXXII. ait: *Percutitur pater in filiis, ut acrius
uratur, plena est sacra historia ejusmodi exem-
plis.* Puniuntur ob parentum scelera infantes in
diluvio, Gen. VII. in Sodomitico incendio, Gen.
XIX. in Benjamin vastatione et incendio, Judic.
XX. in Jabes Galaad, Judic. XXI. Chanaan ob
peccatum patris Cham, Gen. IX. primogeniti in
persecutione Ægyptiorum, Exod. XXI. in dele-
tione domus Achan, Jos. VII. ob peccatum Ama-
lecitarum, I. Reg. XV. filius Davidis ob peccatum
patris, II. Reg. XII. Deinde, si et filii sint rei,
jam et ipsi quoque parentes merito in iis luunt
et filii in seipsis; hoc secundum facile patet.
Primum etiam ostenditur, quia parentes ut pluri-
mum causa sunt dissolutæ filiorum vitæ. Sic
enim, IV. Reg. II. cum pueri parvi illuderent
Elisæo dicentes: *Ascende calve, ascende calve,*
egressi sunt duo ursi de saltu et dilaceraverunt
ex eis quadraginta duos pueros. Nec factum id

absque mysterio. Ursi enim cum informes pariant
catulos, eos tamen sedulo lambunt, donec ad
debitam formam effingant, teste Plinio, lib. II.
cap. XXXVI. Hoc quia parentes puerorum illorum
neglexerunt, quin potius haud dubie, malo suo
exemplo, filios detrahente prophetie docuerunt,
merito per ursos puniti sunt eorum pueri, ut sic
castigarentur a bestiis, qui a parentibus non cas-
tigabantur: Habent præterea quod hic parentes
adnotent; si hic puniuntur filii, in quibus culpa
minor est, velut in causato: patresne impunes
erunt, in quibus culpa major, et veluti in causa:
Si in viridi ligno hæc fiunt, aiebat Dominus ad
matronas aliquas, *in arido quid fiet?* (Ad litteram)
si Filius Dei luit ob aliena scelera, quomodo luent
homines ob sua? (Mystice) si filii ita luent a pa-
rentibus depravati, quomodo tandem luent deprava-
tores ipsi?

VI. Ad terrorem, puto, etiam pueris incutien-
dum. Ait quidem Job, IV. *Quis unquam innocens
perit? Aut quando recti deleti sunt?* Sed nonne
audis Job, quia innocentes hodie perierunt, et
non sunt, adeoque deleti sunt. Quid igitur est,
quod dicis? Perditiōne quidem animæ, innocens
nemo perit, perditiōne corporis hodie perierunt.
Quod si illi transilire debuerunt gladium, qui
nulli nocuerunt, quomodo impunes erunt, qui
teneram ætatem venialibus saltem aspergunt ma-
culis? Dicitis quidem, o parentes, liberos vestros
liberari voce passim innocentes, sed non caret
etiam suis vitiiis ætas illa. Unde ad terrorem alio-
rum quandoque castigatur, uti puer ille quin-
quennis apud S. Greg. I. IV. dial. c. XVIII. qui
inter blasphemias a dæmonibus territus, ani-
mam reddidit. Circa eadem fere tempora Samni-
tes pueri, ut refert Procopius, de bello Gothico,
I. I. cum pastum pecus educerent, per lusum, ut
assolent, duos inter se deligunt duces: Belisa-
rium unum, Vitigem alterum, (qui tunc tempori
in Italia bello mutuo decertabant.) Hos igitur
collectari jubent, superatur Vitiges et prosterni-
tur; hunc statim puerilis illa et inconsideratio
turba illudendo simul et increpando in proxi-
mam arborem suspenderunt. Et en lupus interi-
rim in conspectum eorum proruit, unde exterriti
fugam omnes capessant; qui vero suspensus pen-
debat, a cæteris destitutus, in eo cruciatu interi-
rii. Quod certe in terrorem petulantium puero-
rum divinitus accidisse, nemo dubitabit. Memo-
rabile, est et illud de quodam elephante, quod
scribit Pier. I. II. hierogl. qui cætera mitissimus,
cum ab insolentibus pueris nimium aliquando
procaciter lacesseretur et in proboscidem punge-
retur, rapuit unum ex illis, et proboscide obvo-
latum in altum sustulit, quasi mox in sublime

ejaculaturus. Territi hoc spectaculo juvenes,
vociferari et pro socio gratiam implorare: ita-
que quem in sublime vexerat, leniter deposi-
tum pueris reddit. Quid aliud fecit Deus, quando
Innocentes illos ab Herode raptatos, e medio sus-
tulit, quam quod vobis pueris sæpe numero no-
centibus exemplum corruptionis ostendit? Sed
leniter deposuit Deus Innocentes illos, primo
quidem, in limbum, postmodum in cælum una
secum evexit, quia revera innocentes fuerunt.
Videant pueri noxii, ne et ipsi aliquando repente
abripiantur et dejiciantur in infernum, vel certe
in purgatorium; discant proinde cavere non so-
lum gravia, verum levia etiam peccata, juramen-
ta, mendacia, mala agnomina, irrisiones, sannas,
neglectum rei divinæ, oblocutiones, etc. Et in ip-
sis, talia mature reprehendant et castigent paren-
tes, nisi eos malint castigari a Deo, vel eius car-
nifice diabolo.

CONCIO III.

QUARE CHRISTUS HERODIS FUREM FUGERIT.

- I. Ob commune bonum christianismi. — II. Quia ce-
lestriorem de dæmone victoriam obtenturus erat. —
III. Ut doceremur, quam facile possit eludere sa-
pientiam humanam. — IV. Ut disceremus esse pe-
regri in mundo. — V. Ut disceremus cedere alio-
rum furori. — VI. Ut disceremus fugere pec-
cata.

THEMA.

Accipe puerum et matrem ejus et fuge. Matth. II.

Apocalypsis XII. signum magnum vidit in cæ-
lo Joannes: *Mulierem parturientem quæ clamabat
et cruciabatur donec pareret: et draco magnus ste-
tit ante illam ut cum peperisset, filium ejus devora-
ret. Peperit ergo filium masculinum, qui recturus erat
omnes gentes, sed raptus est filius ejus et ad thronum
ejus.* Prophetia est hæc de Ecclesia persecu-
tione et tribulatione tempore antichristi futura,
sed videtur idem fere contigisse tempore Christi
nati. Parturiebat olim Ecclesia et magnis votis
ac clamoribus desiderabat parere Christum.
Quem cum primum peperit, ecce præsto fuit dra-
co ille Herodes volens ore hiante devorare partum
istum. *Futurum est,* inquit, angelus, *ut Herodes
querat puerum ad perdendum eum.* Sed spe tamen
sua fraudatus est, et puer Dei monitu in Ægyp-
tum ductus. Dicit vero aliquis: Quid tandem
causæ est, cur Herodem Christus fugere voluerit?
Audite.

I. Fugit, ob commune bonum totius christianis-
mi. Nam si tunc Herodes gladio occubisset, etsi

ejus sanguis, quantumvis adhuc modicus pro redemptione nostra sufficientissimus erat, plurimis tamen aliis caruissemus bonis, quibus postea per illum ditati simus. Quis enim docuisset nos viam veritatis, viam cœli, si non ipse qui per eam ad nos descendit? Quis docuisset SS. Trinitatis, incarnationis, passionis, crucis, resurrectionis mysteria? Quis dedisset salutaria pharmaca sacramentorum? Quis denique viam virtutis asperam concurisset, si non ipse exemplo suo præisset? Unde Petrus Chrysol. ser. CCLI. ait: *Christus totam causam nostræ salutis occiderat, si se parvulum permisisset occidi, etc.* Hac ratione profuit universo populo Judæorum fuga Moysis a Pharaone, quærente illum occidere, Exod. II. Unde enim illis talis dux fuisset per asperum deserti iter, si is a Pharaone sublatus fuisset? Unde eis libertas ab Ægyptiorum servitute? Unde lex? Unde manna? Unde aqua? Unde transitus maris rubri, nisi per Moysen? Similiter et nos innumeris bonis careremus, si Christus parvulus obiisset. Idcirco non absque mysterio præcipitur, Ex. XXIII. *Non coques hædum in lacte matris suæ*, id est, non occides, Herodes, Christum adhuc infantem et lactentem, ut exponit S. August. q. XC. S. Chrysost. hom. de Innocent. Hædus erat Christus in sacrificio veteri designatus et pro nobis occidendus. Ut ergo hædi majoris sunt utilitatis cum adoleverint, ita etiam Christus, adulta demum ætate, immolatus plus profuit Ecclesiæ. Hinc sponsa illa, Christi scilicet Ecclesia, de salute Christi infantis sollicita, clamat ad illum: *Fuge dilecte mi, et assimilare capræ hinnuloque cervorum super montes aromatum*, Cant. VIII. Quare sicut Antigonus cedens aliquando hostibus suis aiebat, se non fugere sed opportunitatem a tergo sitam persequi (Plutarch. in apophtheg.); ita Christus non tam fugiebat, quam opportunitatem plura bona præstandi quærebat. Itaque nos habemus cur gratias Christo agamus ob hanc fugam. Uti enim nobis datus, nobis est natus, ita nobis etiam fugit.

II. Quia dæmonem celebriori victoria superare constituerat, aperto nimirum Marte, et ultro se ictibus et tormentis objiendo. Unde Chrysologus, serm. CL. ait: « Christus si mactatus in illo grege lactentium tunc fuisset, mors ei casus fuerat, non voluntas: non virtus fuerat sed infirmitas: necessitas fuerat, non potestas: et innocentia fuisset præmium, majestatis gloria non fuisset. » Demosthenes clypeo suo aureis litteris inscripserat: *Bona fortuna*: at cum ad prælium ventum esset, abjecto clypeo fugit; quod cum ei probro daretur, respondebat vulgato versiculo: *Vir fugiens rursus pugnabit*. Simili astu in ss. lit-

teris Josue cives Hai, Jos. VIII. Israelitæ cives Gaba, Judic. XX. vicerant: fugam enim primo capiebant, vel potius simulabant, postea ex insidiis reversi fortius pugnarunt et gloriosius vicerunt. Fugiebat Christus non tam Herodem, quam dæmonem incedentem Herodis, sed ad tempus tantum et rursus pugnaturus majori cum gloria et aperto Marte. Darius olim decies centenis milibus conserere cum Alexandro M. parabat: qua tanta barbarorum multitudine consternatus Parmenio, Alexandro suasit, ut nocte intempesta hostem opprimeret, alioqui vix superandum: sed respondit Alexander, nolle se furari victoriam, palam in luce aggredi hostem velle, ut in ejus rebus gestis Curtius, l. IV. refert. Similiter et Christus noluit in infantia quasi infirmus et occultus mori: ad montem Calvariæ dæmonem provocabat, ut toti mundo ostenderet suam fortitudinem, obedientiam, humilitatem, patientiam, charitatem erga humanum genus, pro quo omnia atrocissima animo promptissimo et patientissimo exantillare voluit: quæ omnia vel nunquam vel quasi de nocte gesta fuissent. Videte quantum hinc rursus Christo obligemur, qui nostri causa breve et leve supplicium fugit, ut diuturnum et gravissimum subiret.

III. Ut nos doceret, quam facile possit humanam eludere sapientiam. Imprimis Herodes omnia exacte scrutatus est, locum, tempus, personam Christi nati: *Videns vero quoniam illusus esset a magis, occidit omnes pueros in Bethlehem et in omnibus finibus ejus*, ne videlicet aberraret a loco. Occidit etiam omnes, qui infra bimatum erant. Fecit quoque id per satellites suos ne adverteretur quæri Christum ad necem. Denique, si Anselmo credimus, persecutus est magos usque Tarsum, quos cum ibi non reperisset, naves, quibus eo advecti erant, succendit. En versutiam humanam? Sed o stultum caput! Illusum se vidit a magis, et non vidit illud se potuisse a Christo? *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum*. Novit enim Christus ad necem se quærendum, antequam quæreretur, ideoque per angelum suum præmonet parentes ut secedant in Ægyptum. Pulchre Sapiens, Prov. XXI. dixit: *Sicut divisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini: quocumque voluerit, inclinabit illud*, q. d. sicut hortulanus aquam in horto suo quacumque vult, ducit; vel sicut Deus nubem fulgure et fulmine, imbre et grandine prægnantem quo vult circumducit, et ubi vult exonerat ac velut spongiam exprimit, ita corda regum. Nubes procellosa erat Herodes, grandinem et procellam vehens, sed constrinxit eam Dominus, donec abirent cum puero parentes. Lussisse vide-

tur Deus cum Herode, sicut rudimus cum carne, os illi suspendendo quasi bolum injecturi, quem tamen simulato jactu retinemus et occultamus in manu. Aperuit os suum draco ille, infantem devoraturus; sed occultavit illum Deus, et Herodem naso suspendit. Audiverat Alcibiades se una omnium Atheniensium voce morti adjudicatum; sed cum et patria profugisset: *At ego, inquit, ostendam illis Alcibiadem vivere*, Plut. in vita. Ita conabantur eludere Dei providentiam fratres Joseph, ne ipsis dominaretur: *Venite occidamus eum*, inquit, *et videamus quid prosint illi somnia sua*: sed nihil effecerunt, dominus illorum factus est. Sic Pharaon extinguere conabatur omne semen Israel, interim vero Moyses mirabiliter servatus est, a quo ipse postea pessumdatum est cum suis. Nemo itaque tam desipiat ut gladium sub pallio contra Deum et æquitatem gerat, quia seipsum decipiet: nemo attendet Dei ordinationi resistere, peccata sua tegere vel palliare, etc. quia omnia nuda et aperta sunt oculis ejus.

IV. Fugere voluit, ut exemplo suo doceret nos omnes peregrinos esse in terra, nec habere manentem civitatem. Si enim Christus mundi hujus paterfamilias et Dominus in propria venit et sui eum non receperunt, sed et insuper in exilium ejece- runt, quomodo nos domestici et servi ejus speramus hic meliorem conditionem? Videte quæso. Vix conceptus erat Christus, et in matris utero trans montana abijt, ut serviat Joanni: jamjam nasciturus Cæsaris edicto in Bethlehem advocatur: vix natus patria pellitur ab Herode, et exul esse in Ægypto cogitur: interea iterum redire jubetur: modo fugit in desertum, modo in patria præcipitium declinat, modo a terra Gerasenorum exigitur, modo e Judæa lapidibus pellitur, modo a Samaritanorum civitate excluditur, modo in montem Calvariæ educitur: præterquam quod ipsemet nullibi consistens pertransit benefaciendo castella, urbes, pagos, etc. Itaque vita Christi, mera peregrinatio fuit. Unde et caducis terræ bonis non est usus nisi ad necessitatem et fere solum alienis: in nativitate non habuit locum in diversorio: extra patriam natus est: exul deinde in Ægypto: utebatur fere alienis domiciliis, Marthæ, Simonis Pharisei, et cenaculo ac sepulcro alieno: fugiens in Ægyptum deserebat maternam domum: vivebat ex elemosynis, quas etiam furi Judæ committebat. Hinc etiam passim a canibus, id est, principibus, sacerdotibus, Scribis et Phariseis velut advena et peregrinus allatrabatur: et tamen Christus mundi Dominus, et expectatio Israel erat. Hinc miratur Jerem. c. XIV. *Expectatio Israel, Salvator ejus in tempore tribulationis, quare quasi colonus futu-*

rus es in terra, et quasi viator declinans ad manendum? Quare futurus es velut vir vagus? Nimirum talis esse voluit, ut nos hic similiter peregrinos agnosceremus, et cœlestem inquireremus patriam. Hoc fecerunt veteres patres, qui vixerunt ante Christum: *Non acceptis repromissionibus, sed a longe eas aspicientes et salutantes et contentes, quia peregrini et hospites sunt super terram*, ait apost. ad Hebr. XIII. sic Jac. Gen. XLVII. *Dies peregrinationis meæ centum triginti annorum sunt*: David, Psal. LXXXVIII. *Advena ego sum apud te et peregrinus, sicut omnes patres mei*: Salom. I. Paral. XXIX. *Peregrini sumus coram te et advenæ, sicut omnes patres nostri*. Quanto magis nos idipsum dicere et sentire decet, qui idem in Christo vidimus? O quam cito sapientes et perfecti fieremus, si idem sentiremus? S. Olymp. abb. rogatus a quodam, qua ratione vitam suam recte institueret, respondit: *Ubique æstima te peregrinum et ubicumque sederis dic: Peregrinus sum*, refertur in prato spiritali, Sophron. c. XII. Hinc fiet ut instar peregrini ab omnibus abstineas, quæ te, cum gestare nequis, juxta monitum S. Petri, ep. I. c. II. dicentis: *Charissimi obsecro vos tamquam advenas, et peregrinos abstinere vos a carnalibus desideris*: hinc fiet, ut nihil in mundo ames, sed omnibus quasi rebus alienis utaris: hinc fiet ut canes te allatrantis facile feras, imo tibi ex hoc gratuleris.

V. Ut nos doceret prudenter et gloriose cedere aliorum furori, simulque licere sanctis Dei fugere persecutores, siquidem id fecit Christus. Prudenter autem id fit primo, quia sic servabis animum tuam, ne et ipsa pereat per iram. Ita enim arundines et frutices turbini cedentes non franguntur aut eradicantur uti arbores annosæ. Secundo, quia sic multoties mitigabis iratum: *Qui enim subtrahit ligna, extinguet ignem*, ait Sapiens: et ictus bombardarum nulla re magis hebetantur, quam si molli excipiantur lana.

Gloriose vero, quia gloria est cedere minori et infirmiori, qualis est iratus, qui fera potius est, quam homo. Quis autem bovi aut equo ferocenti in plateis cedere erubescat? Ingenui molossi cedunt catellis etiam lacessiti. *Ad hæc si fugere ignominia est*, aiebat S. Athanasius ad eos qui fugam ei exprobrabant, *multo magis persequi, cum is qui persequitur, fugæ sit auctor*, Socrat. l. III. histor. eccl. c. VI. Quod si Deo ignominiosum non fuit fugere Herodem, servum et creaturam suam, quam uno ictu prosternere potuisset, tibi dedecus erit? Numquid non magna gloria est sequi Deum? Itaque recte Sapiens dixit, Prov. XXIII.

Honor est homini, quia separat se a contentionibus, quicquid mundus ogganniat.

VI. Ut doceret nos fugere peccata et peccandi pericula seu occasiones. *Gloriosa hæc fuga est, fugere a facie peccati*, inquit S. Ambros. I. de fuga sæculi, c. IV.

Imprimis vero fugere debent, qui tenelli adhuc in fide et virtute sunt. Parva cymba non committitur alto mari, ne fluctibus hauriatur: ita nec tenella virtus magnis est exponenda discriminibus. Tenellæ plantulæ facile læduntur a feris et pruina: sed non ita cum adoleverint. Hæc causa est cur noluerit Deus Hebræorum populum ex Ægypto nuper educum, Philistinorum bellis objicere: *Ne forte pœniteret eum, si vidisset adversum se bella consurgere et reverteretur in Ægyptum*, ut dicitur Exod. XIII.

Neque etiam præsumptuose te committas periculo peccandi, licet sis fortior: scimus Polydamantem quia confusus viribus suis, de specu corruente non fugit, sed onus sustenturum se credidit, ruina oppressum esse, Maiol. tom. IV. coll. I.

Deinde, parentes subrahare debent liberos ab ejusmodi periculis, et a malis exemplis sociisque perversis, Ita Sara ejici petiit Ismaelem a quo videbat seduci suum filium. Bestiæ mirum in modum defendere a morte laborant proles suas: eas enim ex insidiis in tuta loca deferunt. Faciant idem parentes et ex locis hæreticis, vel domibus indisciplinatis, vel malis conventiculis efferant liberos suos, vel baculis expellant.

Ad hæc, sicut post oblationem suam in templo, fugit Christus in Ægyptum: sic post pœnitentiam maxime et communionem fugiendæ peccandi occasiones. Qui enim vestem byssinam induit novam, candidi præsertim coloris, sordida subsellia fugit. Dicat itaque cum sponsa Christianus: *Expoliavi me tunica mea, quomodo induar illa? Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Cant. V. Quantum occultare conabantur haud dubie piæ matres suas proles ab Herodis gladio? Nos Christum in nobis nuper natum non magis custodimus? Quid juvat aut delectat matrem, filium genuisse mox iterum moritarum? Et quid juvat Christum in domum nostram induxisse, si cras iterum per peccata expellamus? Expectat sane draco infernalis, hians ore, ut devoret partum nostrum, sed tu eum ad Deum transfer. O te beatum, si hoc capis et sapis!

CONCIO IV.

CUR IN ÆGYPTUM SE RECEPERIT CHRISTUS.

I. Ut sæculi commoditates vitaret. — II. Ut vicem Ægypto rependeret. — III. Ut ostenderet se migraturum e Judæis ad gentes. — IV. Ad solatium sanctorum exultantium. — V. Ut disceremus custodire gratiam et virtutes.

THEMA.

Accipe puerum et matrem ejus et fuge in Ægyptum Matth. II.

Audivimus superius jure meritoque fugisse Christum. Nunc rursus quis miretur, cur in Ægyptum fugerit. Nam primo, teste Josepho, I. I. contra Apion. Ægyptii in Judæos maxime erant iniqui. Jam olim enim sub Moyse diris modis eos opprimebant: et deinceps illis nihil mitiores, sed veluti muscæ, molesti erant, uti patet Isa. VII. Deinde, nulla gens magis dedita idololatriæ, et a veri Dei cultu ac cognitione remota erat atque Ægyptii. Denique, iter ad Ægyptum non tantum longum, sed asperum valde, arenosum et ærumnosum erat, herbis, aquis, hominibus destitutum. Ad quid igitur Christus fugere ad Ægyptios, hostes et impios itinere tam difficili voluit? Non sane absque magno consilio, uti nunc audiemus.

I. Ut hujus sæculi commoditates vitaret, et ab infantia inciperet præire nobis in paupertate, abjectione et miseriis. Venit enim in hunc mundum, tamquam *novissimus virorum*, Isa. LIII. ut non primum sed novissimum occuparet locum. Poterat sane Christus divertere ad magorum terras, ubi procul dubio honorificentissime exceptus et habitus fuisset: sed divertit ad hostilem potius terram, ubi Abraham, Joseph, Moyses et filii Israel plurima adversa passi erant, et ipse nihilo minora passurus erat: ubi inter ignotos, imo inimicos in contemptu, penuria et ærumnis adolesceret. Correspondet nomen: Ægyptus enim angustiae seu tribulationes exponitur. Cum enim vellet sanare in nobis Adami superbiam, et damnare mundi stultitiam, qua vitæ hujus incommoditatibus solummodo inhiabat, elegit infimum et incommodissimum locum. Sat multum se dejecterat, cum a Bethlehem excludi et in spelunca nasci voluit, non tamen ibi constitit; descendit in Ægyptum, terram humiliorem, ut patet Gen. XII. et XLV. etc. ubi in exilio et extrema miseria educaretur. Erubescit igitur terra et cinis homo, Deus enim, cujus est totus hic mundus elegit sibi hic exilium et infimum terræ angulum, omni humana commoditate destitutum: es tu adhuc inhias deliciis, honoribus, opibus? Tu

tibi hic patriam statuis? Tu nihil tibi deesse pateris, sed omnia mox, et quam commodissime vis adesse? Certe in Ægypto per tribulationes exaltatus est Joseph, crevere et multiplicati sunt filii Israel tanto magis, quanto magis afflicti, quia terra tribulationis utilior est terra prosperitatis.

Discant etiam hic parentes, quo loco et qua ratione educare filios suos debeant, ibi videlicet ubi disciplina viget, ubi non blande tractantur, sed duris assuescere coguntur. Ad academias et contubernia severioris disciplinæ mittendi sunt, et si fieri potest, extra patriam. Illic discuntur mores, ibi flexilis fit ætas, et erudiuntur animi. Ælianus refert, lib. IX. cap. LIII. adolescentem in Zetonis schola edoctum, cum redisset domum, a patre interrogatum, quod tamen operæ pretium fecisset in philosophia, solum id respondisse: *Ostendam*. Cum vero nihil aliud diceret, pater excandescens, quasi impendium periisset, cepit tundere filium, qui id promptissime tulit. Rursus ergo cum instaret parens, ut aliquod profectus specimen daret, respondit filius: *Hos e philosophia fructus cepi, ut patris iram possim commode ferre*. Stat multum mea sententia. Sed nunc quandoque filii, cum redeunt a studiis ad patriam, feriunt parentes; quia nimirum indulgenter et extra disciplinam educantur. Hi audiant apostolum ad Hebr. XII. scribentem: *Quid si extra disciplinam estis, cujus participes facti sunt omnes, (ipse etiam Dei Filius) ergo adulteri et non filii estis*.

II. Ut vicem Ægypto rependeret. Tametsi enim Ægyptus multis sæpe ærumnis attriverat olim filios Israel, eosdem tamen aliquando tempore famis sub Joseph patriarcha maximo sibi devinxerat beneficio, annonam suppeditando, necnon totam domum Jacob recipiendo et alendo per annos plurimos. Hoc enim beneficium nequaquam in aquam scripsit Deus, sed in tabulas legum suarum, Deut. XXIII. cum præcepit: *Non abominaberis Ægyptum, quia advena fuisti in terra ejus*. Compensavit igitur eis illud obsequium, cum maxime indigerent, et ~~hæc~~ verbi maxime affligerentur.

Nulla unquam gens adeo superstitioni dedita fuit atque Ægyptii, siquidem, oves et boves, talpas et vespertiones, serpentes et crocodilos, canes, simias, imo cepe et alia pro diis venerabantur. Hisque tam palpalibus tenebris ita immersi erant, ut usque ad Christi adventum erui non potuerint. Unde S. Athanasius, Alexandria Ægypti episcopus de incarn. Verbi ait: *Abraham in Ægyptum descendit et Jacob, nihilominus tamen idololatria ibi viguit: natus est ibi Moyses, æque*

illic hæsit religionis error, etc. Item Ægyptiorum superstitio non quiesceret, nisi Deus in corpore quasi in nube vectus eo descendisset, et idolorum errores compescuisset. Itaque Deus tandem mederi voluit Ægypto tam afflictæ, præsentia imprimis sua, juxta prophetiam Isai. XIX. *Ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingreditur Ægyptum, et commovebuntur simulacra Ægypti a facie ejus*. Nubes levis primo, est Maria Virgo, cujus ulnis gestatus est in Ægyptum Christus, quæque illum veluti pluviam nobis effuderat. Rursus nobis levis corpus Christi designat, formatum de Spiritu sancto ex Maria Virgine, quod tunc quidem in infantia et pueritia nubes apparuit. Postea, per apostolos suos tam copiosum effudit imbrem in Ægyptum, ut tota irrigaretur, et major esset frequentia monachorum et monialium, adeo ut integræ urbes monachatum profiterentur, et major esset frequentia monachorum in solitudinibus, quam hominum in urbibus. Unde S. Chrysost. hom. VIII. in Matth. scribit: *Non ita variis astrorum choris cælum refulget, ut Ægyptus innumeris monachorum ac virginum distinguitur et illustratur habitaculis*. Inde enim Pauli, Antonii, Hilarionis, Macarii, etc. sidera toto orbe rutilantia. In una Thebaidis urbe, Oxiryncho, decem millia monachorum et viginti millia virginum simul habitabant; et una Deum in ecclesiis et plateis, etiam inter labores laudabant, pluraque ibi monasteria, quam urbes civium erant. Unus abbas Or habuit sub se tria millia: Serapion decem millia monachorum. In aliis pluribus Thebaidis urbibus multæ eorum millia fuerunt et urbes non tam laicorum quam religiosorum domicilio erant. Porro simulacra etiam Ægyptiorum, ut prædictum Isa. XIX. corruiisse passim ad ingressum Christi, testantur multi sancti patres. Idque perfecit Theodosius imperator qui ibidem templa Canopi, Isis, Serapidis, et in toto orbe delubra idolorum evertit, anno Christi 379. Baron. ibidem. Nubes magna advehit secum vehementem ventum, per diem dejecit arbores, etc. sic Christum Ægyptum intrans in nube humanitatis suæ, quasi per turbinem dejecit simulacra. Quare abunde satisfactum est Ægypto et soluta hospitii merces a Christo, cum ex efferrata bellua in mansuetissimam ovem, ex ore in paradysum mutata est.

III. Ut hæc fuga typice ostenderet migraturum se a Judæis ad gentes: *Ægyptus enim totus orbis intelligitur superstitionis et maledictionis egiogio*, inquit Tertull. contra Judæos, c. IX. Ægyptus, id est, tenebræ quid nisi gentes designat? Dum ergo Christus infans Judæos deseruit et ad Ægyptios migravit, ostendit Judæos, in perfidia relinquen-